



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 10. De prole.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

## DVBIUM VI.

*Vtrum coniuges teneantur simul cohabitare, & se mutuo adiuuare in familia administranda?*

<sup>125</sup> **R**espondeo: Coniuges ad hoc teneri. Patet ex Cap. *Litteras*, de Restitutione spoliatorum, & Cap. 1. de Sponsalibus & matrimonijs. Ratio petitur ex natura matrimonij, quod est vinculum indissolubile vitæ societatem retinens: & etiam ex finibus matrimonij, qui sunt, proles, vitatio fornicationis, & mutuum auxilium; qui fines sine cohabitatione obtineri nequeunt.

<sup>125</sup> **P**etes: An vir ob dotem nõ solutam possit dif- fugere cohabitationem vxoris?

<sup>125</sup> **R**espondeo: Couarruias 2. p. de Sponsalibus c. 7. adfert aliquos Iurisperitos, qui sentiunt posse. Sed hæc opinio non est probabilis: nam cohabitatio est Iuris naturæ & diuini. Dominus enim ait, vxorem non esse dimittendam nisi in causa fornicationis. Vnde propter dotem non solutam, non potest reijci, sed debet compelli à iudice vt eam soluat.

## DVBIUM VII.

*Vtrum vxor teneatur sequi virum?*

<sup>126</sup> **R**espondeo: Vxorem teneri sequi virum: vt patet Capitulo *Vnaquæque* 13. qu. 2. Ratio est, quia est viro subdita.

<sup>126</sup> **E**xciipiuntur tamen aliquot casus. Primus: Si vxori ex sequela esset periculum corporis, vel animæ. Secundus: Si vir factus sit vagabundus post matrimonium. Secus verò si antea vagabundus erat, idque ipsa sciebat; tunc enim tenetur sequi. Tertius: Si pactum præcessit de non mutando domicilio, nisi fortè superueniret virgines necessitas. Vide *Courr.* 2. p. c. 7. in principio.

## DVBIUM VIII.

*Vtrum ea qua vxor lucratur, sint in potestate viri, an vxoris?*

<sup>127</sup> **R**atio dubitandi est, Quia Panormitanus in Cap. *Litteras*, de restitutione Spoliatorum, docet omnia quæ vxor lucratur, esse viri, eò quod ipse curam familiæ gerat, & vxor teneatur laborare pro familia. Tamen D. Thomas 2. qu. 32. ar. 8. & alij Theologi concedunt mulierem posse disponere de ijs quæ lucratur.

<sup>127</sup> **R**espondeo cum Nauarro c. 17. num. 154. ea quæ vxor lucratur esse in potestate viri, nec ipsam posse de ijs liberè disponere, quando non dedit sufficientem dotem ad se & liberos alendos: tunc enim tenetur laborare pro familia. Quando autè dedit sufficientem dotem, non tenetur laborare, vnde potest disponere de ijs quæ lucratur.

## DVBIUM IX.

*Vtrum maritus possit vxorem verberare?*

<sup>128</sup> **R**espondeo Primò ex Panormitano in Cap. *Cum contingat*. De foro competenti, virum non habere potestatem ordinariam in vxorem, sicut dominus habet in seruum, neque etiam pro-

prie sicut pater in filiam; vt patet *Genes.* 2. vbi vxor datur in sociam.

<sup>128</sup> **R**espondeo Secundo: Iuxta Panormitanum in Cap. *Quemadmodum*, de Iureiurando, posse illam verberare moderatè in causa graui. Ratio est: quia est superior, & potest ei imperare; & ipsa in causa graui tenetur ei obedire, etiam sub peccato mortali, *Genes.* 2. *Sub potestate viri eris*: ergo potest eam conuenienti modo ad hoc cogere. Nam potestas imperandi non potest bene exerceri sine potestate cogendi. Videndum tamen est vt id discretè fiat, nec facillè consulendum.

## DVBIUM X.

*De Prole.*

<sup>129</sup> **H**oc loco dicendum foret de prole legitima & illegitima. Sed hac de re, quantum satis est Theologo, diximus in Tractatu de Irregularitate.

<sup>129</sup> **D**icendum etiam esset de iure & debito liberorum erga parentes, & parentum erga liberos, tum quo ad educationem, tum quo ad hereditatem. Sed hoc pertinet ad materiam de Iustitia & Iure. Vide *Couarruiam* 2. par. cap. 8. Pleraque autem ad forum externum pertinent.

## CAPVT VII.

*De impedimentis Matrimonij.*

## DVBIUM I.

*Quotimplicia sint Matrimonij impedimenta?*

<sup>130</sup> **R**espondeo: Duplicia esse Matrimonij impedimenta. Quædam dicuntur *Dirimentia*, non quod Matrimonium iam contractum possit dirimi, sed quia illud irritum reddunt si antecedant, sic vt non possit validè contrahi. Alia dicuntur *Impedientia*, quæ contractum quidem non irritum, sed illicitum reddunt.

<sup>130</sup> *Dirimentia* sunt duodecim, his versibus comprehensa:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas;  
Si sis affinis, si forte coire nequibus.  
Hæc iungenda vetant matrimonia, facta retractant.*

<sup>130</sup> **R**atio huius numeri sic explicatur. Ad Matrimonium duo requiruntur, scilicet legitimus consensus signis expressus, & legitimæ personæ contrahentes. Ex parte consensus sunt tria impedimenta: *error personæ, error conditionis, & vis illata.* Ex parte contrahentium sumuntur reliqua nouè; quorum quædam reddunt contrahentem absolute inhabilem, quædam tantummodò respectu certæ personæ. Quæ absolute inhabilem reddunt, vel sunt naturalia, vt *impotentia copulæ*, quæ dicitur *frigiditas*, vel *malosicium*: vel sunt voluntaria, vt *votum solenne Religionis, Ordo sacer, & ligamen cum alio coniuge.* Quæ verò inhabilem reddunt tantummodò respectu certæ personæ, sunt triplicia: scilicet, *Certum quoddam crimen; nimia disunctio, vt per cultus disparitatem; & nimia coniunctio, nempe per cognationem affinitatis, & publicam honestatem.*

*Præter*